

ticidii plura videre licet apud *Doctissimum Iohan. Grivell. in decisionibus celeberrimi Sequanorum Scrus Dolani, decis. 19. n. 7. cum multis seqq.*

3. Hoc denique notatu dignum judico, ream depositioni obstetricum contrariam probationem opponere posse. Quàm facilè enim lapsus sit, inquit notabiliter *Bernh. Zieritz. hic, verb. obstetricum probè expertarum*, in obstetricibus in quadam gravi causa observavi, ubi quatuor obstetrices juratò affirmabant, mulierem quandam non esse gravidam, suaq; assertionem Magistratum fallebāt, quæ tamen postea prægnans inveniebatur. De obstetricibus latè & nervosè agit *Dn. Rutg. Ruland. in tract. de commiss. pars. 1. lib. 4. c. 17. per tot.*

## ARTICULUS XXXVII.

*Veneficii indicia.*

1. Veneficii, seu criminis ejus, quo quis alter alterum veneno necat (quod plus esse putatur, quàm hominem gladio interficere, *l. 1. C. de malef. Bernh. Zieritz. hic, c. 130. verb. vota & contusione.*) indicium est, si accusatus vel inquisitus venenum emerit, aut præparaverit, eiq; qui veneno extinctus dicitur, inimicus fuerit, aut futurus successor universalis, vel singularis, aut sit homo insignis omnibus notis turpitudinis, nisi fortè dicere posset, se veneno aliam ob causam probabilem, & non prohibitam usum esse, *Zang. d. c. 2. n. 172.*

2. Huic cognatum indicium est, si reus venenum emerit, vel præparaverit, & id ipsum Judici pro tribunali sedenti negaverit, postea verò rem ita se habere probatum fuerit, *Zang. d. c. 2. nu. 172. 173. 174.* & ex eo *Steph. hic*, ubi dicit, bonum aliquod venenum esse, vel quod, temperamento adhibito, salubre effici potest, *Zieritz. hic, verb. nisi se veneno.* Vide *hic Gobler. in auctario, pag. 43. 44.* ubi quoq; *verb. Pharmacopolas, aliosq; refert*, Romanos quondam venenum habuisse ad malos fortunæ casus.

3. Appendix politica ab Imperatore nostro subnectitur sanciendo, ne in Rebus publicis benè constitutis admittantur Medici, Pharmacopolæ, Pigmentarii, Chirurghi, &c. nisi promittant jurejurando Magistratui cujusq; loci, quod sine ejus promissu nulli venena; veluti Mercurium, Opium, Antimonium, &c. vendere aut tradere velint, *Henr. Bocer. in tract. de omnis generis homicidio, lib. 1. c. 4. de veneficio, num. 6. 7. 8. 29. cum seqq. & nu. 70. cum seqq. Zieritz. verb. officium verò erit, & Steph. hic*, ubi huc spectantia tractantur. Denique si tortus veneficium confessus fuerit, tunc omnes circumstantias expiscandas esse traditur *infra artic. 50.* Nec veneno hostem occidere licet, *Amir. 1. disc. 13. Comin lib. 8. c. 5. fol. (mibi) 728. allegati à Christ. Besold. 2. polit. c. 7. §. 3. in fine ferè 26. p. 776.* Lacrumis deplorandum casum videre licet in *Consiliis Altorfinis Resp. 31. & seqq.* ubi liberum pronunciavit Facultas Juridica, quæ est Altorfi, Pharmacopolam Eslingensem, cujus Minister ancillæ cuidam semen ad vermes abigendos petenti tradidit aconitum, ex quo tres, ut puto, puelli vitam miserè amiserunt. Ratio est. Quia paterfamilias conveniri nequit, quando ex parte ejusdem probaretur,